



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii, Et  
Ivdicis Apostolici designati pro Tribunali Nunciaturæ  
Hispaniæ, ac insignis Ecclesiæ Vimaransenis Thesaurarij  
Maioris, Collectanea Doctorvm, Qui ...**

**Barbosa, Agostinho**

**Venetiis, 1643**

Cap. 1. Regulares teneri ad obseruantiam Regulæ, quam professi sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14108**

omnino, prout supra, facienda, Sedique Apostol. referenda, ac probanda. Postea eadem S. Congregat. S. D. N. referente declarauit suae intentionis nunquam fuisse prohibere oblationem, receptionemque tabellarum, & imaginum huiusmodi, itaut approbantibus Ordinarijs secreto aliquo seorsum loco custodiri, ibidemque iam amota collocari, & asseruari possint, vt si quando Dominus talium virorum merita beatificationis, seu canonizationis honore in terris decorare voluerit, extent huiusmodi sanctitatis qualescunque probationes Apostolicae Sedis iudicio tunc examinanda, refero Ego ipse in collectan. ad dictum cap. vlt. in fine, de reliq. q. venerat. Sanctor.

7. *Nulla etiam admittenda esse noua miracula, &c.* Vide Piafec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 3. num. 18. vers. miracula, Franc. Leo in thesauro fori Eccles. p. 2. cap. 1. num. 21. met ipsum de officio, & potest. Episcop. part. 3. allegat. 97. num. 2. me citato in illo loco Homobon. de Bonis de examine Eccles. tract. 12. cap. 3. q. 15. suppos. 2.

8. Post Episcopum examinare noua miracula hominis defuncti non canonizati, nec beatificati, & publicare, atque approbare absque Summi Pontific. auctoritate, antiqua dispositione text. in d. cap. vltim. ex nouiori dispositione huius decreti, tenui d. allegat. 97. ex num. 1. & postea in collect. ad d. cap. vlt. retuli me mutante decism fuisse dispositionem Concilij in presenti esse intelligendam tam de miraculis Sanctorum canonizatorum, quam etiam de miraculis persone non canonizatae, quod quidem decretum originale, & authenticum penes me asseruatur.

Contra Philarch. de officio sacerdot. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 9. vers. 5. Sanch. d. cap. 43. num. 2. Ioan. Baptist. Signium in tract. de reliq. q. vener. Sanctor. cap. 3. in princip. Domin. Ansoff. de sacrarum reliquiarum cultu. §. 22. num. 42. Iacob. de Graff. cons. 17. à nu. 26. sub tit. de senten. excom. existimantes hoc Concilij decretum agere de miraculis, & reliquijs, ac imaginibus Sanctorum canonizatorum.

9. *Nec nouas reliquias recipiendas, &c.* Nullo modo licere Episcopis approbare nouas reliquias, & eas publice venderandas exponere, nisi denuo inuenirentur alicuius

Sancti iam pridem in Sanctorum numerum relati, resoluit Azor. in sit. moral. part. 1. lib. 9. cap. 8. quest. 8. Sanch. d. cap. 43. num. 10. & alij plures per me citati d. allegat. 97. num. 10. vbi num. 12. decism refero reliquias antiquas habendas esse in illa veneratione, qua hactenus fuerunt.

Episcopo competere in sua diocesi approbare reliquias Sancti ab Ecclesia canonizati, & illo approbante tanquam veras, & ad illum Sanctum pertinentes, posse absolute venerari, tradunt Philarch. d. cap. 9. ad finem, Soar. in 3. part. quest. 25. art. 6. disput. 55. sect. 2. vers. quare aliquis. Azor. d. quest. 8. Sanch. d. e. 43. num. 14. vbi etiam tenet posse Episcopum extra suam diocesim existentem absque aliqua Episcopi diocesis licentia illam approbationem facere, & facultatem concedere, vt in sua diocesi publica Reliquia collocentur venerande.

Et refert Sel. in selict. cap. 3. num. 11. fuisse decism in vna Viterbion. 26. Iunij 1627. ad Ordinarium spectare cognitionem quod reliquiae sint verae, & exponenda etiam in Ecclesijs Regularium, & interim facultatem eidem competere mandandi vt custodiantur in loco sibi bene viso, & apud se retinere clauas.

*Nisi eodem recognoscere, & approbante Episcopo.* Ad quemcunque alium etiam iurisdictionem quasi Episcopalem habentem praeter Episcopum non spectare miraculorum recognitionem, tradunt Aloys. Ricc. in praxi rerum fori Ecclesiast. decif. 563. in 1. edit. alijs resolut. 485. in 2. edit. & in decision. curia Archiepiscop. Neapolitan. decif. 397. num. 1. part. 4. Mari. Antonin. variar. resolut. lib. 1. resolut. 112. casu 22. Homobon. de Bonis d. tract. 12. c. 3. quest. 15. supposit. 2. Ego ipse d. allegat. 97. num. 9.

*Adhibitis in consilium Theologis.* Ergo tenetur Episcopus ad reliquiarum approbationem faciendam Theologos consulere, & aliquos viros pios, & doctos, vt per Azor. in sit. moral. part. 1. lib. 9. cap. 8. quest. 8. Sanch. d. cap. 43. num. 15. Fagandez in quinque Ecclesiae precepta, precept. 1. lib. 1. cap. 4. num. 4. vbi addit quod illorum sententia audita solius Episcopi erit decidere, quia Concilium in presenti tantum potest vt eos consulat, non vt suffragium ferant.

### De Regularibus, & Monialibus.

Adem sacrosancta Synodus, reformationem prosequens, ea quae sequuntur, statuenda esse censuit.

De materia huius tituli ex professo tractarunt Nauar. per quatuor commentaria de regularibus, Fr. Erman. Roderic. tribus tomis omnes ferè Regulares quæstiones complectens, Fr. Ludouicus Miranda in manuali Praetorum Regularium, & de sacris Monialibus, Thom. à Iesu Maria de statu monachorum, Fr. Ioan. à Cruce de statu Religionis, Laurent. de Portel. in dubijs Regularibus, Thom. San-

chez tom. 2. in precepta Decalogi, vbi de Religioso statu ac professione, Bartholom. à S. Fausto in thesauro Religiosorum, seu de tribus vobis solemnibus, Francisc. Soarez per integrum tom. 3. & 4. de Religione, Bonacin. de clausura Religiosorum, & penis eam violatis impositis, Fr. Bartholom. de Vecchis in praxi seruanda in admittendis ad Religionis statum nouitijs.

### Regulares teneri ad obseruantiam Regulae, quam professi sunt.

#### C A P V T P R I M V M.

- 1 Doctores de materia cap. agentes.
- 2 Generalis superior potest cum consensu Capituli sibi subditis aliqua efficere strictiora, & arctiora statuta.
- 3 A regula Ordinis ne recedatur curare debent superiores.
- 4 Superiores non possunt ea, quae ad substantiam Re-

gularis vita pertinent relaxare.

- 5 Ordinarius permittere debet tertiarias moniales S. Francisci sub obedientia Fratrum minorum quemadmodum antea fuerunt.
- 6 Tertiarias mulieres ad habitum tertie regulae recipere licet superioribus Regularibus sufficienti facultate ad id à Sede Apostol. fuffultis.

Quoniam non ignorat sancta Synodus, quantum ex monasterijs pie institutis, & rectè administratis, in Ecclesia Dei splendoris, atque vtilitatis oriatur, necessarium esse censuit, quo facilius, ac maturius, vbi collapsa est, vetus, & Regularis disciplina instauraretur, & constantius, vbi conseruata est, perseueret præcipere, prout hoc decreto, præcipit, vt omnes Regulares tam viri, quam mulieres,

res, ad Regulæ, quàm professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant, atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, <sup>a</sup> vt obedientia, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicuius Regulæ, & Ordinis pecuniaria vota, & præcepta, ad eorum respectiue essentialiam, necnon ad communem vitam, victum, & vestitum conseruanda pertinentia, fideliter obseruent. <sup>b</sup> Omnisque cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur tam in Capitulis generalibus & prouincialibus, quàm in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis non recedatur, <sup>c</sup> cum compertum sit, <sup>d</sup> ab eis non posse ea, quæ ad substantiam Regularis vitæ pertinent, relaxari, si enim illa quæ bases sunt, <sup>e</sup> fundamenta totius Regularis disciplinæ, exactè non fuerint conseruata, totum corruat ædificium necesse est.

<sup>a</sup> Clemens. xlii. §. cum igitur, in pri- mis de verb. sign.

<sup>b</sup> Cap. cum ad monaste- rium, de statu monac.

<sup>c</sup> Cap. cum Paulus, l. q. 10.

1. Vnde Nauarr. in cap. nullum 14. q. 2. num. 24. & 32. Et in cap. statimus 19. quest. 3. num. 66. Fr. Emman. quest. regul. tom. 2. quest. 73. art. 3. Et tom. 3. q. 29. art. 14. Ribadeneira pro defensione Societatis IESV cap. 18. Fr. Ludouicus Miranda in man. Pralat. tom. 1. quest. 35. art. 4. Hieronym. Gabr. consil. 166. à num. 3. vol. 1. Hieron. Roder. in compend. q. reg. resol. 104. num. 22.
2. <sup>a</sup> Et constantius, vbi conseruata est, perseueret. ] Posse superiorem Generalem cum consensu Capituli sibi subditi aliqua efficere strictiora, & arctiora statuta pertinentia ad reformandam regulam promissam, & ad pleniorum eius obseruantiam, tradunt Nauar. commento 4. de Regularib. num. 40. Fr. Emman. q. regular. tom. 1. quest. 44. art. 1. Azor. in sit. moral. part. 1. lib. 13. c. 8. q. 2. Barthol. à S. Fausto in Thesaur. relig. lib. 6. quest. 113.
3. <sup>b</sup> Omnisque cura, & diligentia, &c. ] Vide Fr. Emman. q. regul. tom. 2. quest. 4. art. 2. & quomodo Prælati in reformatione se habere debeant, ibidem q. 73. art. 4.
4. <sup>c</sup> Ab eis non posse ea, quæ ad substantiam, &c. ] Vide Fr. Emman. tom. 1. q. 26. art. 1. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. lib. 18. num. 390. & num. 396. vers. Oñiaum.
5. Ordinarium permittere debere Tertiarias Moniales S. Francisci sub obedientia Fratrum Minorum, quemadmodum antè fuerunt, & efficere, vt professionem, trium solemniū votorum quamprimum emittant ex instituto Religionis S. Francisci, cui sunt adiectæ, si fortè emerint, illasque intra septa monasterij claudere, nec eas cogere debere, vt habitum mutent, vel vt velo ni-

gro vtantur, si illarum Ordo id non requirat, refert decisum Armendar. in addition. ad recopil. legum Nauarre libro 2. titul. 18. l. 7. de religio. n. 57. Tertiariæ, quæ trium votorum substantialium professionem solemnem non emittunt, neque in clausuram se reducere volunt, omnimodè Episcopi cure, & iurisdictioni subiectæ sunt, & esse debent, ita Sel. in select. Canonie. cap. 8. num. 3. vbi refert sic fuisse decisum à S. Congreg. Episcop. in Pistorien. 20. Decembris 1616.

Tertiarias mulieres ad habitum tertiæ regulæ recipere licet superioribus Regularibus sufficienti facultate ad id à Sede Apostolica suffultis ( Capuccinis exceptis ) atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinet, non autem ad habitum admittendæ, & recipiendæ sunt, nisi probata vitæ, ac bonis moribus prædita atque in ætate saltem 40. annorum constitutæ, quæ de proprio habeant, vnde sufficienter viuere possint, & non cum alijs viris, quàm cum confanguineis, vel affinis in primo tantum gradu sibi coniunctis cohærent, & ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis prævio examine diligentibus libi confiterit. Verum in huiusmodi habitu concedendo respectiue deferendo, omnino à velo supra caput, à pectorali, & à patientia abstinendum est, quinimo ea, quæ supradicta tria, vel aliquod ipsorum deferre deprehensa fuerint, illa dimittere etiam per censuras ecclesiasticas ab Ordinarijs locorum compellendæ sunt, eadem S. Congr. in d. Pistorien.

Regulares vtriusque sexus nihil habeant proprij, & vsus mobilium à superioribus conueniens permittatur, sub pœnis, vt ibi.

C A P V T II.

- 1 Doctores de materia cap. agentes.
- 2 Prælati Religionum est licitum concedere Religiosis peculium ad nutum superiorum reuocabile ad solus vsus honestos, & pios.
- 3 Quid attento iure hodierno Concilij.
- 4 Cause rationabiles quæ ad concedendum aliquibus Religiosis peculium.
- 5 Regulares vtriusque sexus non possunt tenere propria, sed omnia dare debent suis superioribus.
- 6 Superior nullus potest concedere monacho facultatem retinendi aliquid ad vsum irreuocabilem.
- 7 Propinarum abusus tollitur.
- 8 Eleemosynæ, quæ per pactum sacristijs, & infirmarijs monasteriorum Monialium dari solent non prohibentur sicut propinæ.
- 9 Moniales, & ceteri Regulares res etiam parui momenti vni proprias retinere non possunt.
- 10 Monialibus minime licet proprium possidere.
- 11 Moniales nec tanquam proprium possidere possunt quod suis manibus laborando acquirunt, vel eis à parentibus donatur.
- 12 Monialium nulli conceditur facultas disponendi de cellis suis post obitum.
- 13 Monialibus illicitum non est habere de licentia Superioris quosdam redditus vitalitios.
- 14 Casus singularis.
- 15 Religionum aliquarum consuetudo licita iudicatur.
- 16 Religioso quando inuito superiore liceat aliqua comparare, vel retinere.
- 17 Bona stabilia ex nulla causa licet priuato Religioso possidere.
- 18 Regularibus non licet ex dispositione inferiorum Summi Pont. possidere, vel tenere agros, vel annuos redditus.
- 19 Monachus factus Episcopus an habeat bonorum, seu fructuum dominium.
- 20 Professio facta cum conditione de retinendo, seu habendo proprio, an valeat.
- 21 Electio officialium, qui administraturi sunt monasteriorum bona, ad monasterij spectat superiores.
- 22 Officiales electi pro administratione beneficiorum monasterij possunt redditus etiam extra monasterium conseruare.
- 23 Moniales deputatæ à suis superioribus in officiales reddi.